

ad Ezchiel prophetam: **Tu prædica**, si te audierint lu
craberis animas eorum: si quo minus, ipsi sibi uiderint:
tu tñ liberaris à perditione eorū. **¶** Et ad hæc quis iido
neus, non enim sumus sicut plurimi adulterantes uerbum
dei, sed ex synceritate sicut ex deo coram deo in Christo
loquimur.) Pseudo apostolos tangit diuersos, qui cor-
rupta doctrina uerba dei, per malam interpretationem
adulterabant, tollentes diuinum sensum, ponebant hu-
manum. Ex quibus quidam zelum habentes traditionis
Iudaicæ, nec de Christo bene docebant, ideo minus iido-
neos hos dicit. Apostolos autem synceriter prædicasse
sicut ex deo datum est, ante deum: id est quomodo deus
dedit, ipso teste in Christo loquebantur, non suam qua-
rentes, sed dei gloriam: hoc est in Christo loqui, eius ho-
norem & potentiam prædicare.

CAPVT III.



Ncipimus iterum nosmetiplos contamen-
dere.) Quoniam pseudoapostolos notat,
praua eorum commenta designans, se au-
tem uerum prædicatorem testatur, uide
iterum commendare se, sicut in prima epi-
stola. Et ne hoc uersutia aliqua terrestris
luci gratia facere uideretur, adiecit: **¶ Aut nungd indi-**
gemus sicut quidam cōmendatit̄s epistolis ad uos aut
ex uobis? Hoc dicens & suum sensum purgat, & ad-
huc pseudoapostolos notat, q̄s proprij honoris & quæ
stus causa circuire ecclesijs, pbat, ad auferendam nō tri-
buendam salutē, ex his erant quibus dicit dominus: Co-
medetis domos uiduarum & pupillorū, oratione longa
orantes, ppter ea accipietis magis iudicium. Hi em̄ & res
eorū & aias inuadebant. Apostolus autē nec res eorum
tāgebat, & ueritate doctrinæ animas eorū inuadebat.

Matth. 25.

T 4 Nō

296 **COMMENT. D. AMBRO.**

Nō ergo carnaliter sed spiritualiter se cōmendabat ad pectum salutis illorū, ut de illo hoc crederent quod erat, quia qui de bono male sentit peccat, ac per hoc commendatio hæc istis magis proficit. ¶ Epistola nostra uos estis scripta in cordibus nostris.) Epistola salutis indicium est. Recte ergo ait: quia salus Corinthorum in corde erat. A postoli & eorum qui cum illo erant, semper enim de salute eorum cogitabant. Cum ergo in corde sunt Apostoli & eorum qui cū ipso erant, epistola sunt scripta in cordibus eorum, quia qui semper alicui⁹ memor est, script⁹ est in animo eius. ¶ Quæ cognoscitur & legitur ab omnibus hominibus, manifestati, qā estis epistola Christi ministrata à nobis.) Apertū est qā cū dicunt Christiani epistola Christi sunt indicātes salutē quā dedit deus in Christo oībus hominibus scribentibus Apostolis, dū em̄ docēt scribunt. ¶ Scripta non atramento sed spiritu dei uiui.) Quoniam quæ promissā sunt, æterna sunt, idcirco dei spiritu scripta dicuntur qui semper est, temporalia autē atramento quo obsolescit & perdit memoriam. ¶ Non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus.) Nunc legem ueterē pulsat, quæ primum data in lapideis tabulis abolita est, fractis tabulis sub monte à Mose. Nova autem lex in animo scribitur, hoc est, in corde nō per calatum sed per spiritum. ¶ Quia fides enim æterna res est, ab spiritu scribitur ut maneat. Vetera autem præcepta deficiente mundo cessabunt. Quomō ergo differt lex à lege, ita differunt dispensatores illius legis à dispensatoribus legis fidei.

Fiduciam autem talem habemus per Christum ad deum.) Quanta dignitas sit in Apostolis manifestat cum dicit: Fiduciam autem talē habemus ad deum per Christum, ut ostendat ueteres non hanc habuisse fiduciam ad deum, quia minor fuit administratio. ¶ Non quod sufficientes sumus & simile aliiquid à nobis tanq à nobis sit, sed sufficientia nostra ex deo est, qui & idoneos nos fecit ministros noui testamenti, non litera sed

sed spiritu. Litera cū occidit, spiritus autem uiuiscat.) Quāuis præferat apostolicam dignitatem, in dei tamen laudem, prumpit, non istud meritis humanis ascribens, sed eius gratiae qui dignatus est, per uitam humana salutarē prædicationem ordinare, quae quos lex uetus reos tenebat, saluaret, data remissione peccatorum per Iesum Christum dominum nostrum. Literæ enim ad hoc datae sunt Moysi, ut contemnentes legem occideret secundum ius naturæ. Spiritus autem, id est, lex fidei, quae non scribitur sed animo continet, uiuiscat reos mortis, conuertentes tamen se ut iustificati de cætero non peccent. Recepit ergo data fuerat lex ut timor esset peccandi. Sed quia fragile est genus humanum, misericordia dei data est in prædicatione apostolis, ut donatis peccatis euaderent morte, credentes in Christum. Hec est prædictio noui testamēti, quod promiserat deus per prophetas. (Quod si administratio mortis literis formata in lapidibus fuit in gloria, ita ut non possent intueri filii Israël in faciem Moysi, ppter gloriam uultus eius quae euacuat, quomodo non magis administratio spiritus erit in gloriam?) Manifestum est maiorem esse gratiam legis fidei, quam legis Moysi. Quamuis enim ad hoc data sit lex Moysi ut prodesset, contempta tamen facta est lex mortis. Ergo quia peccatoribus prouidere non potuit, uenit lex fidei, quae hos saluat, non solum ignoscens, sed & iustificans eos. Multum ergo interest inter legem & legem. Tunc enim maculati peccato uultum Moysi descendensis de monte cum lege accepta in tabulis intueri non poterant, quia glorioſa facta fuerat facies eius, ne a peccatoribus possit aspicere quia digni erant morte. Quae nunc gloria euacuat per legem spiritus, cum accepta remissione peccatorum facti iusti. digni sunt aspicere & possunt gloriam dei, sicut uiderunt in monte Petrus & Ioannes & Iacobus gloriam Christi. (Si enim in administratiōe dānationis gloria, multo magis abundabit administratio iusticiæ in gloria.) Hoc dicit, quia amplius est donum iusticiæ dei per fidem Christi, quam ueteris, q[uia] magis gloria in salute est quam in morte:

T 5 quamuis

298 **C O M M E N T . D . A M B R O .**

quamvis iuste damnet, tamen ad laudem proficit magis si indulgeat, ut possit reus corrigere se. ¶ Nec enim gloriosum factum est id quod glorificatum est in hac parte propter excellentem gloriam.) Manifestum est non esse factum gloriosum quod uisum est in uultu Moysi gloriosum. Quando enim nulli profuit gloria uultus eius, non habuit fructum gloriae, sed magis obsuit, licet non suo uitio, sed peccantium, tamen in hac parte gloria non est. Illa autem est magis gloria quae abundat in gratia, ut purificati homines dono dei, abstensa caligine possint uidere gloriam Christi. ¶ Si enim quod euacuatur fu-
it in gloria, multo magis quod permanet in gloria est.) Non negat gloriam fuisse in lege uel in uultu moysi, sed non permanxit in Moysi, quia figura erat in Moysi non ueritas, ideo adueniente saluatore cessauit figura, quia apparuit ueritas manens semper: Ut quantum interest inter imaginem & ueritatem, tantum intersit inter gloriam uultus moysi & gloriam Christi, ideo supra dixit, propter excellentem gloriam. Illa enim tanta erat gloria quanta debuit credi seruo: Hæc uero tanta quanta est genitoris eius, quia dominus Iesus Christus in gloria est dei patris. Sicut enim uespere stellæ gloriose sunt, oriente autem sole euacuatur earum claritas, ita & Moysi gloria euacuatur apparente gloria Christi. ¶ Habentes autem talē spēm, multa fidutia utamur.) Spem habere nos dicit uidendi gloriam, non tam qualis fuit in uultu Moysi, sed eam quam uiderunt tres apostoli in mōte, reuelante se domino. Hinc igitur concidere debemus quantum nobis contulit diuina clementia, quantumque nos superioris gratiae dono ditare dignata est quam de derat Iudæis. Iudæi enim cum minor esset gloria uultus Moysi, eam speculari non poterant, nos uero non Moysi gloriam quae inferior est, sed excellentem saluatoris gloria uisuros nos credimus. Iudæi ergo serui gloria non meruerunt uidere, nos autem domini communis gloriam sumus uisuri. Ideoque & nos uicem reddere in quantum possumus debemus benevolentia dei, ut propenfiores sumus

mus in eius amore, qui nobis fidutiā dedit, abluens nos
à peccatis uidendi gloriā dei. Nunc itaq; opus est ut cres-
cat in nobis fidutia bonis actibus parata. Tantū enim uī
debimus, quantum credimus. ¶ Et non sicut Moses po-
nebat uelamen super faciem suā, ne intuerentur filii Isra-
el usq; ad finē eius quod euacuatur.) Quoniā digni fa-
cti sumus per gratiam dei uidere gloriam Christi, idcir-
co non sicut Moses ait ponebat uelamen super facie suā,
ne intuerentur filii Israel. Ideo ponebat uelamē, qm̄ splē-
dore uultus eius ferre non poterāt caussa peccati, quo
sublato potestas datur uidendi gloriam dei usq; ad finē
eius, quia tādiu non reuelatur, quādiu relīcta lege con-
uertantur ad gratiam fidei, & sic euacuatur. Accedente
enim dignitate per fidem, euacuatur indignitas. ¶ Sed
obtusi sunt sensus eorum usq; in hodiernum diem.)
Tamdiu obtusos dicit quandiu non credunt. Quæ ob-
tusio incredulitatis obuenit, ideo conuersis ad fidē acu-
itur acies mentis, ut uideant diuini luminis splendorē,
¶ Idipsum uelamen in lectione ueteris testamēti manet
dum non reuelatur, quia in Christo euacuatur.) Obti-
sio ait hæc in lectione Exodi manet quandiu credant.
Non enim reuelatur, nisi credant. In Christo enim eu-
acuatur, hoc est, per fidem Christi auferetur uelamē. Amo-
to enim delicio, incipiunt uidere, quod obstante pecca-
to uidere non poterant. ¶ Sed usq; in hodiernum diē
cum legitur Moses uelamē est supra cor eorum.) Mani-
festum est quia cum legitur hæc pars legis, sententia il-
lorum recitatur qui sunt sub lege. ¶ Cum autē conuer-
sus fuerit ad dominū, auferetur uelamen.) Conuerti ad
dominum, hoc est, credere in Christum, ut agnosca do-
minus ueniam mereatur accipere, hoc est, auferri uela-
men, sententiam euacuari, qua tenebatur reus sub lege.
¶ Dominus autē spiritus est. Ibi autem spiritus dominī
ibi libertas.) Qm̄ deus spiritus est, per Christum legem
dedit spiritus, nō literis utiq; scriptam, sed p fidē aīs inti-
matā, nō quæ uisibilia doceat, sed iuisibilia credi suadeat

quæ